CONGREGATIONE SAC. RITVVM

D E


Oratorio in honorem Sanćti Iobi Albani conſtrućto.

S E C V N D O I V R I S

Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. Suffraganei.

S V P E R

Denegatione publici Cultus.



ROMÆ, Ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ. M. D C. L X X X.

SVPERIORVM PERMISSV.


Albanen̄

Consultus ab Illustrissimo Domino meo Grimaldo Suffraganeo Ecclesiæ Albanensis tituli Eminentiss. & Reuerendiss. Domini mei Card. Grimaldi, primò gratulabor Domino meo Eminentiss. Zelatorem Sanctæ Fidei Catholicæ, necnon Rituum Christianorum, ne eius incuria irrepere vnquam possit in eadem Ciuitate, ac Diœcesi aliquis abusus,& aliqua nouitas non conformis Sacris ordinationibus, Apostolicisque traditionibus, deinde veniam ad quæsitum, quo Illustrissimus Dominus meus querit,an liceat exhiberi cultus publicus Sanctis veteris Testamenti, & erigi templa in eorundem honorem, præsertim Sancti Iob filij Zara Sacerdotis, Prophetæ, Regis, & Martyris, imó& acerbiora, quam plures Martyres passi, vti omnes hi tituli de eo leguntur collecti à Poseuino.

In apparatu ad Bibliothecam verbo. Iob.

Vltra à me exarata accesserunt ea, quæ satis doctè solidè, & eruditè, in scriptis proposuit D. Ioannes Antonius Brutius I. V. & Sac. Theol. Doctor à me super hoc articulo consultus, quæ propterea placuit subnectere, oculisque Eminentissimorum PP. subijcere prout infra.

Eminentiss. & Reuerendiss. Dn̄i.



RIMA facie videtur dicendum, posse illi exhiberi hunc cultum, & ad eius honorem erigi,& dedicari templum. Etenim Gauantus assignat officium ne dum eiusdem Sancti Iob, verum etiam aliorum Prophetarum, & Patriarcharum veteris Testamenti; ex quo infero,sicut in honorem ipsorum celebrantur, dies festus, & recitantur officia, quæ spectant, quatenus diriguntur ad Deum, ad Cultum latriæ, quatenus veró ad honorem Sanctorum ad Cultum Duliæ, posse etiam in honorem eorundem ædificari, & dedicari templa, & Aras, quæ spectant ad eundem cultum nempe latriæ, quia dedicantur, & consecrantur Deo. Duliæ quia in honorem Sanctorum.

Sect. 1. cap. 12. de electionibus n. 21.

Secundo. Quod veró celebretur dies festus eorundem,constat ex Martyrologio Romano, vbi suis diebus passim inueniuntur descripti, item & ex Menologio Græcorum, & alijs Bedæ, Vsuardi, Adonis, & Cæterorum,& signanter de Sancto Iob sexto idus Maij ibi: in terra Hus Sancti Iob Prophetæ admirandæ patientiæ viri, cuius in notis Baronius scribit, memi-

 nisse

nisse laudatos Bedam, Vsuardum, & Adonem, & alios, Græcos autèm in Menologio oct. idus Maij.

Tertio videtur habita erga eosdem Sanctos veneratio à primis Christianis tempore persecutionum, nam in Sacris Cryptis, & Cæmeterijs Vrbis pictæ cernebantur eorundem Sanctorum Imagines, vt commemorat Antonius Bosius. Inter hos est imago eiusdem S.Iob, erga quam afficiebantur primi Christiani in Tyrannorum persecutionibus, & quasi ad solamen, & ad imitationem eiusdem patientiæ, & tolerantiæ, illius Imaginem in Sterquilinio iacenti similē, totam plagis, & vulneribus confectā sibi coloribus repræsentabant, hinc est illud Origenis: etiam adhucusque in hodiernum diem B.Iob tolerantia ante eos, qui sunt in dolore, & luctu, atque planctu legitur pro consolatione, atque exhortatione dolorū illorum, & pro ablatione angustiæ cordis eorum. Similiter autèm, & in Conuentu Ecclesię in diebus Sanctis legitur Passio Iob. Idem in illa verba textus: & scidit vestimenta sua: sic itaque (inquit) admirabilis Iob conscindens vestimenta sua, atque omnia deponens impedimenta nudus, atque audax stetit in spiriale prælium, aut adhuc conscidit vestimenta sua sine mora semetipsum ad ipsas præparans plagas: Ecce (inquiens) dorsum nudum, ecce corpus detectum. Vos flagellate, ego sufferam, vos verberate, ego autem sustinebo, quæ quidem sicut arguunt magnam virtutem, ita etiam magnam gratiam, & auxilium diuinum.

Rom. Subterr. lib. 4. à cap. 6. vsque ad cap. 22.

lib. 1. in Iob.

Quarto. Neque tantùm Iobi Imaginibus oblatus cultus, & veneratio adhuc pubescente Christianorum Ecclesia: sed eiusdem reliquias primi Christiani à diuersis orbis partibus magna frequentia sunt veneratione prosecuti, confluentes instar fluminum in mare, ad illius sepulchrum, vt refert Nouar. quasi in admirationem actus: quid non ait ad huius Athletæ gloriam cessit, ac patientis Iobi triumphum, cum & vile Sterquilinium, in quo iacuerat, veneratione, & honore cultum legamus, vt ad illud olim pergerent fideles, & fimum illum cernerent, & humiliter oscularentur, inde laudat in hanc tem Sanctum Ioannem Chrysostomum in hæc verba: Multi nunc longam, & transmarinam peregrinationem à terræ finibus in Arabiam obeunt, vt fimum illum cernant, & conspicati Terram deosculentur, quæ illius Victoris certamina, & cruorem omni auro pretiosiorem suscepit. Iure pro inde regis solio non solum comparat, sed etiam præfert Iob sterquiliniū idem S.Pater, in Catenā Grecā. Veneratio enim Reliquiarum demonstrat nō solū noui Testam. sed etiam veteris virorū Sanctitatem, quare Clemens Romanus: eorum (inquit) qui apud Deum viuunt, ne reliquiæ quidem corporum sunt inhonoratæ: siquidem Elisæus Propheta postquam defunctus est, mortuum suscitauit à Pyratis Syris occisum: attigit enim corpus eius corpus Elisæi, & excitatus reuixit, quod quidem nequaquam accidisset, nisi corpus Elisæi Sanctum esset. Et castus Ioseph Iacob Patrem iam defunctum in lecto iacentem, amplexus est. Item Moyses, & Iesus filius Naue reliquias corporis Ioseph ferebant, neque se tamen cadauere contaminari putauerunt. Veneratio igitur, ex tot dissitis tanta intercapidine regionibus, arguit vniuersalem, & publicum cultum, & populorum communi calculo canonizationem, ob quam templorum erectione cum eius nuncupatione dignari potest, & debet.

Elector. sacrorum lib. 3. excus. 41.

Hom. 5. ad Pop. Antiochen.

lib. 6. Const. Apostolicar. cap. 29. edit. Tur. lat. & cap. 3. græco.

4. reg. 13. 21.

Gen. 50. 1.

Quinto, Nam ipse Deus mandauit amicis Iob, vt implorarent illius intercessionem, & patrocinium apud eundem Deum, his verbis: & ite ad seruum meū Iob, & offerte holocaustum pro vobis: Iob autem Seruus meus orabit pro vobis, faciē eius suscipiā, vt nō imputetur vobis stultitia; neque enim loquuti estis ad me recta, sicut seruus meus Iob. Huiusmodi autem præceptū connotat Iobi etiam Sanctitatem, Sancti enim inuocandi sunt, vt defi-

Iob. 42. 8.

Sess. 25. in decreto de Purgat.

definitur in Concilio Tridentino, ibi: illos vero, qui negant Sanctos æterna fælicitate in Cęlo fruentes inuocandos esse &c. impiè sentire. Item Ecclesia Latina inuocat in Litanijs Sanctos Prophetas, & Patriarchas genericè, & nominatim in Litanijs commendationis Animæ Sanctum Abelem, & Sanctum Abrahamum.

Sexto. Nam Ecclesia adhibet etiam cultum publicum alijs Sanctis veteris Testamenti, vt sanctis Machabæis, quorum celebrat memoriam Kal. Augusti, & veneratur tanquam Martyres, celebrat item festum Sancti Eliæ, & Sancti Elisei, & vt tradit Lezana, iam ab antiquo celebrauit ante concessionem officij Sancti Eliæ Ordini Carmelitarum factam a Gregorio XIII. in Bulla incipit: vt Breuiarij anno 1584. & à Sixto V. in Bulla eximium anno 1589. quæ officia deinde approbauit Sacra Rituum Congregatio sub Paulo V, anno 1609. & sub Vrbano Octauo anno 1628. Item Clemens VIII indulsit Presbyteris Græcis, & Monachis Sancti Basilij Magni vsum cuiusdam Græci Breuiarij, in quo ad pag. 459. erat insertum officium Sancti Eliæ Prophetæ, vt in Bulla, quæ incipit Romanus Pontifex dat. Ferrariæ die 30. Iulij 1598. vbi fusius nititur demonstrare idem lezana vsum jà primis sæculis Ecclesiæ Catholicæ celebrandi huiusmodi officium cum Missa approbata iuxta Ritum Ecclesiæ Hierosolymitanæ, sicut etiam officium Sancti Elisæi pluribus in id rei adductis, & præsertim in codice vno Missali, quem seruat Bibliotheca Vaticana. Asserit insuper eisdem dedicata, & consecrata plura templa tam in Ecclesia Græca, quam in Ecclesia Latina, laudatque Historicos Ecclesiasticos idipsum commemorantes, Cedrenum, Genebrardum, Nicephorum, Andricomium, Nicolaum Eluchen, Beniamin Iudæum, & alios, subditque post quam assignauit loca eorundem Auctorum: alia quoque videntur, hoc tempore in Zantes sub Patribus Dominicanis. Apud Licium, & Tranij in Apulia, & in Insula Sardinea sub Diœcesi Turitana, Messanæ quoque & alijs innumeris locis. Certum item est, vt refert Baronius Ieremiæ foueam in Ægypto à Constantino miro exornatam fuisse ædificio. Videri etiam possunt quę idem scribit de officio Sancti Elisæi pariter antiquo in ordine Carmelitarum.

In annal. Carmelit. anno Mundi 3139. Christi 914. & consult. 1. de offic. Sancti Elia n. 128.

in not. ad Martyr. Kal. Maij.

in annal. Carmelit. ad annum Mundi 3205. ante Christū 848. & d. consult. 3. de offic. S. Eliæ num. 128.

Septimo Idem ne officeret Sanctis veteris Testamenti, qui non reperiuntur Canonizati à Summis Pontificibus, & ne illorum Canonizationem, festos dies, & solemnitates supponeret determinationi Alexandri Tertij & Innocentij Tertij adinuenit duplicem Canonizationem, vnam quæ vt ipse post plures alios firmat, facta est ab ipso Deo in Sacris litteris, & aliam, quæ fit ab Ecclesia, & asserit Sanctos veteris Testamenti Canonizatos ab ipso Deo his plane verbis: catholicè loquendo Sanctus Dei Propheta Elias à Deo Canonizatus censeri debet, ac proinde, quod nullus remaneat scrupulus, quo minus à fidelibus inuocari possit, & ab Ecclesia officio Canonico celebrari: Canonizatum porrò Eliam esse sic habemus ex Bellarminio vbi sic: vtiles esse Sanctos Canonizari, his argumentis demonstrari potest, primo quia Deus ipse voluit à Sanctis Scriptoribus annotari in particulari gloriosam vitam, & mortem eorum, qui temporę ipsorum floruerunt, vt patet de Ecclesiastico, qui Canonizauit plures Sanctos, vt Enoch, Noe, Abraham, Isaac, Iacob, Moysem, Aronem, Phinees, Iosue, Chaleb, Samuelem, Danielem, Eliam, & Elisæum &c. numerando enim hos præmisit eorum laudes: laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua. Allegat inde Conteniorium, & Gasparem Sanchez idem sentientes. Subdit postea non obstare Canonizationi Sancti Eliæ, quod adhuc in vita superstes sit, nam translatio illius in Paradisum, separatio a communi consortio hominum, vitæque incorru-

cap. 1. & 2. extra de Reliquijs, & veneratione Sanctorum.

tom. 2. lib. 1. de Sanctor. Beat. cap. 7. S. his primo.

cap. 44. & sequen.

consult. 3. n. 130.

 ptio

ptio, eum facit quasi ciuiliter, moraliter, & politicè mortuum, seu defunctum, ita etiam de illo habet Sanctus Ioannes Chrysostomus ibi: habes etiam aliam Imaginem Resurrectionis, nempe Eliæ raptum: qui nec in hodiernum vsquè diem est mortuus, idem etiam firmat Sanctus Epiphanius, & Abulensis de ipso, & Enoch dicunt: Elias, & Enoch assumpti sunt ad statum tam perfectum, & iam potius sunt cælestes, quam humani viri, & plura in eiusdem rei confirmationem adduci possent, quæ libens mitto.

in Psalm. 117.

in Ancorato

4. reg. 2. q. 24.

Vnde de sancto Iobo, cum verè constet de eius transitu, & morte æquiori iure possumus dicere, posse etiam Canonizari ab Ecclesia; præscribendo illi solemnitatem, & decernendo sacra Templa.

Octauo Neque videtur esse discrimen aliquod inter sanctos veteris Testamenti, & sanctos noui Testamenti, etenim amicitia cum Deo, adoptio, & hæreditas vitæ eternæ sunt proprietates connaturales gratię habitualis, hę enim qualitates sunt conuertibiles cum gratia habituali, & iustificatione, neque vllomodo distinctę ab ipsa gratia, propterea cum tam sancti veteris Testamenti, quàm noui non fuerint sine ea, & ideo amici, filij adoptiui, & hæredes Regni, non videtur ex hac parte inter eos aliquid discriminis assignari posse. Certa itidem est apud Theologos hæc conclusio, quod omnes, qui salui facti sunt in lege veteri, saluari sunt per legem Euangelij, nam Euangelium præcipuè consistit in gratia Spiritus Sancti per Christum, & eius fidem, & pręstantissima eiusdem Euangelij pręcepta sunt, quæ respiciunt fidem, spem, & Caritatem, hinc est, quòd Gabriel Vasquez contra nonnullos recentiores, qui accipiunt legem Euangelicam pro præceptis traditis à Christo tempore Euangelij, eamque asserunt iustificare, non quidem per solam literam, sed quia cùm Euangelij doctrina data est etiam gratia fidei, & Caritatis, non probat huiusmodi distinctionem ex eo, quòd hęc gratia non tantùm data est Euangelicę legi, sed etiam veteri, postquàm enim, vt ipse ait, Dominus tulit legem Populo Israel, & Moyses eam promulgauit, dicens: Mandatū hoc, quod ego pręcipio vobis non supra vos est, nec procul positum, neque in Cœlo situm &c. sed iuxtà te est sermo valdè in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum. Quibus verbis cùm ostenderet Moyses Populo pręcepta illa, non esse supra suam facultatem, planè indicauit gratiam Dei, sine qua legem nemò implere potest, ipsi non defuturam, quem locum in hunc sensum interpretatur Paulus, nàm explicato hoc testimonio per singula, ad illa verba Textus, iuxtà est sermo valdè: propè inquit est verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc est verbum fidei, quod prædicamus; Per verbum autèm fidei intelligit spiritum fidei, & gratiæ, qua dixerat legem impleri, & obseruari, iustitiam verò ex illo adquisitam, vocauerat iustitiam Dei. Dixerat autèm de hoc spiritu fidei. Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti, hoc est complementum, & consummatio legis, quę in obseruantia consistit, est Christus per fidem creditus. Indè subdit: hac igitur ratione nulla differentia assignari potest inter legem Euangelicam, & Mosaicam, cùm vtriusque pręcepta ad sui obseruationem primariam habuerint gratiā Christi, quę ab initio Mundi omnibus concessa fuerat, sicut & Christus ipse occisus dicitur ab origine Mundi, quia pretio suę redemptionis per omnia sæcula gratia communicata est, &c.

par. 2. disput 183. cap. 2. in D. Thom.

Deut. 30.

ad Rom. 10.

Hinc est tritissima conclusio apud Theologos scholasticos, quòd omnes, qui saluati sunt in Veteri Testamento, saluati sunt per fidem Christi venturi, etenim, vt probat Molfesius, lex vetus fuit vmbra Euangelij, & Euangelica lex legem veterem adimpleuit, per ea, quę supra dicta sunt.

in summa de legib. tract. 9. cap. 4. n. 59.

Optimè

Optimè Diuus Augustinus, D.Thom., & alij communitèr penès Lorcam, docent, quòd omnes Spiritus Sancti gratia ducti, tàm in lege naturę, quàm in statu legis Mosaicę iustificati sunt, & ad pefectionem sanctitatis ascenderunt per merita futurę passionis Christi, & successiuè inter professores legis Euangelicę computandi sunt, quòd pluribus sacrę scripturę locis comprobare nititur, quę libentèr missa facio. *Cap. 17. de spirit. & lit. 1. 2. q. 106. art. 1. ad 3. & q. 107. art. 1. ad 2. disput. 27. de legib. initio.*

Cùm igitur respectu gratię sanctificantis, tàm inter Sanctos Veteris Testamenti, quàm noni, non possit assignari vllum discrimen; & per Christum, eiusque sanctam fidem Sancti veteris Testamenti salui facti sunt, vlla ratio est assignabilis, cur Ecclesia abstineat à cultu publico eorundē per solemnitatem festorum, & per erectionem, & dedicationem Templorum, & per omnia ea, quę Sanctis noui Testamenti pręciso quolibet obstaculo conceduntur.

9. Reperiuntur in specie aliqua templa erecta in Italia ad honorem Sancti Iob, vt in Calabria præsertim in Diœcesi Bonensi, & alibi; Item Hospitalia aliqua cum hoc titulo Sancti Iob, præsertim vnum Hospitale Bononiæ, vt vidi in Kalendario Bononiensi, ergo non est inconueniens si denuo erigatur templum eidem sancto.

10. Item Romæ sunt plura templa dedicata Sanctis Veteris testamenti vt Sancto Simeoni Prophetæ, Sanctæ Annæ, & Ioachino, Sancto Ioseph. & Sancto Ioanni Baptistæ. Item Verulis Sanctæ Mariæ Iacobi, & alibi etiam, quæ si dicantur ideo esse, quia pertinent ad Sanctos Noui Testati, respondemus (vt diximus supra) huiusmodi discrimen ablatum esse, eo quod omnes sancti veteris Testamenti pertineant ad nouum. Præter eandem fidem Iesu Christi, sine qua nemini vnquam contingit salus, tam in lege scripta, quam in lege naturæ, quod docet etiam Sanctus Augustinus pluribus in locis, & præcipuè de Ciuitate Dei firmans hanc veritatem, nempè in lege naturæ multos fuisse iustos Christi fide præditos, affertque in exemplum Sanctum Iob, conferens illum omnibus Sāctis Iudeæ, qui Christi aduentum præuenere, interque Gentes multos fideles inuentos ait hisce verbis: tum hi Deo placuerunt, pertinentes ad spiritualem Hierosolymam, quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi eui diuinitùs releuatus est vnus mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus, qui venturus in Carne sic antiquis sanctis prænunciabatur, quemadmodum nobis venisse nunciatus est, & vna eademque fides per ipsum omnes in Dei Ciuitatem, & Domum Dei in Dei templum prędestinatos perduceret ad Deum: antiquos iustos, quicumque esse potuerunt, non nisi per eamdem fidem liberatos, per quam liberamur, & nos, per fidem scilicet incarnationis Christi, & alijs in locis idem firmiter profitetur, cui & cęteri Patres non refragantur, S. Hieronymus, S. Gregorius Magnus, S. Gregorius Nazianzenus, S. Ignatius alijque, quos ne prolixior sim Iliade omitto. *Lib. 18. cap. 47.* *Idem Epist. 169. ad Hilar.*

Quibus tamèn non obstantibus, sum in voto, quod regulariter templum ad honorem Diui Iobi non expediat erigere, posse tamen Summum Pōtificem ex speciali diplomate indulgere, vt templum ad honorem eiusdem construatur.

Quoad primam partem huius mei voti, moueor ex vsu Ecclesiæ Romanæ per tot sæcula, quæ re vera non solet dare publicum cultum Sanctis Veteris Testamenti exceptis tamèn inuocationibus in litanijs, de quibūs supra, etenim ab ipso exordio, quo templa erecta, & dedicata Romæ sunt, vt adnotaui in meo Theatro Romanæ Vrbis, inter Sacras Ædes nulla reperitur denominata à vocabulo alicuius Sancti Veteris Testamenti, pubescente enim Ecclesia liber Pontificalis testatur Siluestrum dedicasse Basi-

 licas

ſicas à Conſtantino extructas, vnam Petro, alteram Paulo, tertiam Ioanni, quartam Laurentio, & aliam Liberium Beatæ Virgini Mariæ, Calliƈtū Sanctæ Mariæ Transtiberim, Damaſum aliam Sancto Laurentio, Innocentium Sanctis Geruaſio, & Protaſio, Sixtum Beatæ Mariæ, & Sancto Laurentio, Leonem Sancto Cornelio, Gelaſium Sanctæ Euphemiæ, Symmacum Sancto Andreæ, Ioannem 1. Sanctis Philippo, & Iacobo, Pelagium 11. Sancto Laurentio, Gregorium Sanctæ Agathæ, Bonifacium IV. Sanctæ Mariæ, & omnibus Sanctis, & aliæ plures, quæ per ſummos Pontifices erectæ, & conſacratæ ſunt, vt clariſſimè liquet, ſolum ſanctis noui teſtamenti didicatæ, & conſecratæ fuerunt, exceptis Sancto Ioanne Baptiſta, Sancta Maria Magdalena, & Sancta Martha, & Lazaro, vt infra videbimus inter illos, qui ab ipſa præſentia Ieſu Chriſti ſanctificati fuerunt, propterea cum Patriarchæ, & Prophetæ ante Chriſti aduentum dignati non ſint ab Eccleſia hoc publico, & ſolemni cultu, dicendum eſt non fuiſſe intentionis Summorum Pontificum illis cultum exhibere medijs Diuinis officijs, & templorum erectione, animus enim magis factis ipſis, quam verbis declaratur. Amplia etiam ne dum Romæ id ſeruatum, ſed vbique locorum, vt colligimus ex ſcriptoribus tàm veteribus, quam recentibus ipſiſque Concilijs, nam Grangtenſe fulmen intorquet in Euſtachium, quod Sanctorum Martyrum Baſilicas contemneret. Concilium Cabilonenſe, vbi Sanctorum Martyrum Baſilicas commemorat, Cyrillus Apoſtolorum Eccleſiam Hieroſolymis erectam, vbi Spiritus Sanctus ſuper Apoſtolos illapſus eſt, Nazianzenus Encomio effert Gallum, quod Mariæ Martyri Sacram ædem conſtrueret, Myſſenus de Eccleſia Theodoræ nuncupata loquitur, Chryſoſtomus plura de Martyrum templis tradit, Theodoretus dicit Idolorum templa conuerſa in Martyrum Eccleſias, Ambroſius habet ſormonem de Baſilica, quam felix condidit Apoſtolorum nomine dicanda, S. Auguſtinus videtur cum mærore narrare quod Martyrum Chriſtianorum Eccleſiæ templis Idolorum, delubriſque ſuccederent.

Lege 1. ſ. rem Rat. habere, & l. pro hærede ff. de aquirenda hæreditat. & l. reprehendenda C. de Inſtit. & cap. Dilecti filij 2. de appellat.
Epiſt. ad Epiſc. Armenia.
Can. vlt.
Catechiſi 16.
Orat. 1. in Iulian.
Orat. in Theodor.
Hom. l. 28. ad Pop. Antbior.
Lib. 8. ad Grecos.
Lib. 1. Epiſt. 5. ad Felic. Epiſcopum.
Lib. 8. de Ciuitat. Dei cap. 28.
In cap. conqueſt. de ferijs.
De Conſecr. diſtinct. 3. Can. pronunciam.
Homil. 7. ad Pop. Antioc.
Exod. 32. 13. & Baruch. 23 2.
In Pſal. 115.

Neque Eccleſia Romana omnium Eccleſiarum caput, & Magiſtra, ſi publicus Cultus dandus fuiſſet ſanctis veteris Teſtamenti, omiſiſſet ſaltem vnum illorum inter ferias adſcribere, & tamèn Gregorius Nonus nullum nominauit ſanctum veteris teſtamenti, neque Concilium Lugdunenſe in ſuo Decreto, quod refertur &c. ergo Eccleſia Romana abſtinuit ab hoc publico, & vniuerſali cultu.

Quo vero ad ipſam inuocationem, & confugium Sanctus Ioannes Chryſoſtomus videtur præferre noſtros Sanctos Martyres Patriarchis, & Prophetis veteris Teſtamenti his verbis: Etenim (inquit) ſi qui multa præclarè geſſerant maiorum noſtrorum ætate Sanctorum Virorum nomina prætendentes vſque ad Abraham, Iſaac, & Iacob appellationem confugientes, non nihil ſolatij ſunt aſſecuti, ac magna ex horum nominum commemoratione vtilitatem decerpſerunt; multo magis nos non tantū nomina, ſed ipſa, quæ decertarunt Corpora prætendentes, Deum propitium, & benignum habere poterimus, & placatum. Et forſitàn id clarius expreſſit Sāctus Baſilius Magnus præclara hac Anthiteſi veteris, & noui teſtamenti vſus: Cum Iudaicè moriebantur, abominabilia erant morticinia, cum pro Chriſto contingit mors, pretioſæ ſunt reliquiæ Sanctorum eius. Antea dicebatur Sacerdotibus, & Deo dicatis, non contaminabitur ex aliquo mortuo: & ſi quis contigerit mortuum, immundus erit: & hoc. Laua eius veſtimenta. Nune autem qui contigit oſſa Martyris, quandam ſacrificationis ſocietatem aſſumit, ex gratia corpori inſidente. Sanctus Ioannes Damaſcenus aſſignat diſcrimen inter corpora, ſeu

ta, seu reliquias sanctorum veteris Testamenti, & noui, ex cæremoniarum, & rituum diuersitate: Non ædificeabantur (ait) olim hominibus templa, nec iustorum mors lætitia, & gaudio, sed mærore, & lacrymis celebrabatur, & qui mortuum attigerat, habebatur immundus, etiamsi Moysen ipsum attigisset. Nunc autem sanctorum monumenta Populi concursu celebrantur. Cum luctu, & lacrymis Iacob mortuus, elatus, sepultusque fuit. At nos Stephani mortem cum lætitia celebramus, quapropter aut solemnes ad memoriam, & laudem sanctorum celebritates contra legis antiquæ morem institutas tolle, aut Imagines eorum, quas contra legis præceptum tu fieri asseris, admitte. At huiusmodi celebritates sanctorum tolli non possunt, cum Sanctus Apostolorum, & Diuinorum Patrum chorus eas fieri iubeat. Ex quo enim Deus verbum caro factus est, nobisque similis præter peccatum, in omnibus esse voluit, & sine confusione cum carne nostra coniunctus est, & carnem sine commutatione diuinam reddidit, mutua minimèque confusa, tùm Diuinitatis eius in carnem, tum carnis in Deum concessione vere sancti sumus effecti. Hucusque ille. Hinc est quod Romana Ecclesia ab ipsis incunabulis tanti fecit Sanctos Martyres, vt ijs solum, & Sanctis Apostolis, Beatæque Mariæ Venerationem, & publicum cultum exhibuerit, & sacra Templa dedicauerit, cuius quidem rei satis meminere Patres, & Concilia. Concilium Cartaginense v. à quo statutum fuit, ne alicui Martyri dedicaretur Ecclesia, nisi in ea fuerint eius reliquiæ, aut fuerit locus passionis, aut eius habitatio, & passim à Concilijs, & Sanctis Patribus dicuntur Basilicæ Martyrum. Concilium Grangrense, Cabilonése, & ex Epist. Pij Primi, ibi: cura autem Sanctorum Martyrum corpora sicut membra Dei quemadmodum curauerunt Apostoli Stephanū. Carceres sanctorum visita, ne aliquis tepescat in fide, Martyria Sancta Spiritu sancto proba (aduerte tamen vbi supra cum Basilio diximus, sanctos Apostolos cum lætitia sepelliuisse Stephanum, & hic vbi Pius Primus præcipit Iusto, vt quemadmodum fecerunt Apostoli erga Sanctum Stephanum, ipse ageret cum Martyrum corporibus, non esse contraria ijs, quæ habemus de planctu magno eorundem, etenim, vt me legisse memini, iste planctus magnus erat iustarum persolutio, & quasi Apotheosis defuncti celebrata in lætitia, & exultatione) Sanctus Cyprianus relatus à Baronio: Denique ait dies eorum, quibus excedunt adnotate, vt commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus. Idem etiam seruauit, vt refert idem Baronius ex Gregorio Nysseno in natalitijs Sanctorum Gregorius Thaumaturgus his verbis: Descendit rursum in Vrbem, & omni circa regionem vndique peragrata, ac perlustrata, additamentum quasi corollarium stadij sui erga numen Diuinum instituebat apud omnes, vbique Populos sanciens, vt nomine eorum, qui pro fide certassent, Dies festi, atque solemnes Conuentus celebrarentur, cumque alij in alium locum corpora Martyrum deduxissent per anniuersarij circuli ambitum congregati, lætabantur in honorem Martyrum ferias agentes. Hucusque Nyssenus. Quem quidem morem ab Apostolis manasse litteris prodit Clemens Romanus, & Sanctus Augustinus ea nimirum occasione, quod veneranda Martyrum corpora sub Altari recondi consueuerint iuxta illud Ioannis: vidi sub Altare Dei animas interfectorum propter testimonium, quod habebant, & ità interpretati sunt omnes fermè Patres tàm Latini, quàm Græci, vt refert etiam laudatus Baronius, qui hæc memoriæ consignauit: ex prædicta (inquit) nota dierum natalium sanctorum Martyrum pro commemorationibus faciendis, Martyrologij scribendi prouenit occasio, cum

Orat. 2. aduersus sui temporis Iconoclastas prope medium.

Num. 19. 11.

Can. 14.

Can. 2.
Can. vlt.
Ad Iustum apud Baronium annal. tom. 1. ann. 166. n. 3.

in actis Apostol. 6.

Epist. 37. ad Presb. & Diac. Cartaginta
In Martyrologio c. 4 & in annal. tom. 2. anno 253. n. 4.

Constit. lib. 8. c. 39. de Ciuitat. Dei lib. cap. 10.
Apocali. cap. 6.
Ad ann. 275. nu. 2.

Et in Martyrolog. cap. 4.

enim frequens esset Martyrum numerus (decem enim illis, quas numerant persecutionibus, in vnaquaque Prouincia necatos fuisse quamplurimos nemo poterit dubitare) neque in Chartis Ecclesiæ singulorum nomina, & Dies, quibus Martyrium consummassent, notata haberentur, ex eisdem Ecclesiasticis monumentis pridie dies natalis (vt hodie fit in Martyrologio) annunciabantur in Ecclesia quorum natalitia recensenda essent die sequenti, eorumdemque vna cum sacrificio foret commemoratio facienda, eiusmodi Ecclesiasticas tabulas, quibus singulorum Martyrum natalitia conscripta haberentur fastos fuisse appellatos, optimè eruditeque notat Pamelius, ille enim in libro de corona Martyris hæc ait. Habes tuos census, tuos fastos, nihil tibi cum gaudijs. Hactenus Baronius, quem, & alios plures scriptores attestantes de hoc ritu à primordis Ecclesiæ Romanæ laudauerunt, ex recentioribus Molfesius, & Pasqualigus, qui item subdit: modus enim hic antiquus canonizandi sanctos, fuit prius introductus quoad Martyres, quàm quoad Confessores, de eis enim, & non de his Ecclesia ab initio festum celebrare cæpit, & post multos annos à Christianæ religionis fundatione in Pontificatu Bonifacij IV. nempe anno 608. ignorabatur fuisse generaliter constitutos dies festos pro sanctis Confessoribus, ex quo cum ab eodem Bonifacio Pantheon in honorem Beatę Virginis, & omnium sanctorum consecraretur, titulus fuit ei datus sanctæ Mariæ ad Martyres, nulla habita sanctorum confessorum commemoratione, Platina, Innocentius III. & ex eadem ratione in Canone Missæ sanctorum, & sanctarum Martyrum memoria tantùm, & non confessorū recensetur, quia tempore quo idem Canon fuit compositus, nullū festum de sanctis confessoribus celebrabatur, & quod hæc sanctorum Martyrum commemoratio in Canone Missæ sit vetustissima, scribit quoque Durantus. Vide eumdem Pasqualigum, qui post Molfesium successiuè ponit, quando Summi Pontifices inceperint Canonizare Sanctos Confessores, qui primi canonizati fuerint ante Alexandrum Tertium, & Innocentium Tertium, & quomodo veteres, & antiqui Patres Ecclesiæ Latinæ canonizati fuerint, dicit Azorius: Eos post felicem obitum cœpisse coli, & celebrari communi Episcoporum, & Clericorum, & Laicorum consensu. Accessit etiam Ecclesiæ Romanæ expressa, vel tacita quædam auctoritas, quo verò ad secundam partem dictæ assertionis, videlicet consecrationem templorum, & Altarium fieri solitam cum Reliquijs Martyrum, sufficiat testimonium septimæ synodi generalis, ibi: *quæcunque ergo templa consecrata sunt absque reliquijs martyrum, ex ijs fieri statuimus reliquiarum depositionem cum consuetis precibus, qui autem templum consecrat sine sanctis reliquijs deponatur, vt qui Ecclesiasticas traditiones transgressus sit*: Eas certè in consecratione exigit Vigilius Papa. Verum quidem est hos quidem, & alios canones obsoletos fuisse, & templa consecrari etiam solita sine reliquijs: Secus tamen dic de Altaribus, quæ vel saltem cum Antimensijs, & quandoque etiam cum particula consecrata Corporis Domini Nostri IESV Christi, ac in archula reposita delibuta sunt sacro oleo, quod tamen hodie prohibitum est: Hæc igitur Praxis, hic vsus celebrandi festos dies, & erigendi templa, seruatus ab Ecclesia Romana ab ipsis primordijs per tot sæculorum decursum omnino excludit sanctos veteris Testamenti, nam in dicta serie neque de vno legitur, quod Ecclesia Sancta Dei exhibuerit huiusmodi cultum, cum etiam à primordio in ipsa Ecclesia orientali erga Beatam MARIAM Virginem, Sanctos Apostolos, & Sanctos Martyres item, & primos Confessores viguerit huiusmodi mos omnino intactus, & illibatus.

In dicta Epist. 37. Cypriani.

Inter Consil. consil. 40. quæst. Moral. Iuridic. quæst. 300. à num. 24. ad n. 27 28. & sequen.

De vitis initu vita eiusdem Bonifacij.

De Miss. Missæ lib. 3. cap. 10.

De Ritibus Ecclesiæ Catholicæ lib. 2. cap. 35. num. 3. à num. 29. vsque ad 31.

Instit. moral. par. 2. lib. 5. de 4. Decalogi præcepto cap. 6.

Can. 7.

De Consecrat. dist. prima Can. 24.

Adnoto tamèn, quod non sine impulsu spiritus Sancti Ecclesia Latina abstinuit à dedicatione, & consecratione templorum in honorem Sanctorum veteris Testamenti, ne forsitan sequioribus seculis maiorem ansam darent Hæreticis Magdeburgensibus, qui cum obijciant Catholicis, quod per consecrationem templorum Iudaizent eo, quia videntur adhuc seruare cæremonias veteris legis, quæ iam cessarunt, eo magis si in honorem Sanctorum veteris Testamenti Ecclesia consueuisset Templa consecrare, detraxissent Christiano nomini omninò existimantes Ecclesiam Iudeizare. Malè tamen id obijciunt, quia non est Iudaizare seruare ea, quæ aliunde debita sunt, quam ex veteri lege: Vnde Cardinalis Bellarminius: cæremoniæ (inquit) propriæ Iudæorum, & quæ cessauerunt, nec seruari possunt sine peccato, sunt illæ, quæ institutæ erant ad aliquid significandum futurum in Christo, vel in Ecclesia. Illæ enim si nunc seruarentur falsam haberent significationem, & proinde falsæ fidei protestationes essent, vt quia Agnus Paschalis significabat Christi Passionem futuram, si quis nunc Agnum eo ritu immolaret, profiteretur Christum non dum esse passum, quod est contra veram fidem. At Cæremoniæ quæ fundantur in ratione naturali, vt flectere genua, tundere pectus, & similes, non sunt propriæ Iudæorum, etiam si ab illis quoque adhiberentur, nec ad legem cæremonialem, sed ad moralem pertinere videntur, & ita dic de cæremonijs, quæ adhibentur in consecratione Templorum, hæc autem dicta sint incidenter contra Magdeburgenses nostras consecrationes templorum impugnantes, & imputantes à Iudaismo desumptas, Cæterum vt ad mentem redeam, adeo Ecclesia templa erexit Sanctis viris noui Testamenti, vt etiam abstinuerit à dedicatione templorum in honorem Angelorum. Sanctus Augustinus ita habens, non ne si alicui Sancto Angelo excellentissimo de lignis, & lapidibus faceremus templum, anathematizaremur à veritate Christi, & ab Ecclesia Dei, quoniam Creaturæ exiberemus eam seruitutem, quæ vni tantum debetur Deo; vbi Sanctus Augustinus intelligit de cultu, & adoratione latriæ, non autem de adoratione Duliæ. Hinc Pasqualigus dicit non posse erigi Basilicas Angelis, & Sanctis quorum nullam habemus reliquiam, seu memoriam, nam huiusmodi erectio tenderet ad fallendum, repræsentaret enim memoriam, quæ non adesset, posse tamèn erigi in honorem, & in ordine ad cultum ipsi debitum, aduertit tamen esse dedicanda in honorem Angelorum templa ob aliquam apparitionem, sicut fuit factum in Monte Gargano in Apulia in memoriam Sancti Michaelis Arcangeli, addo ego, & Romæ ob apparitionem factam tempore Sancti Gregorij Magni super molem Adrianam, siue etiam in summo circo, videlicet ad S. Angeli in foro Piscium quod idem Pasqualigus, quamuis de Auctore sileat, sumpsit à Duranto. Si igitur vbi nulla est memoria apparitionis Angelorum non sunt consecranda templa in eorumdem honorem, quanto magis abstinendum erit à dedicatione Ecclesiarum in honorem Sanctorum veteris Testamenti, vbi neque reliquæ, neque aliquid aliud memorabile habentur, Quantalibet enim sanctitate præfulgeant adhuc infrà Choros Angelorum sunt.

Cent. 4. cap. 6.

De Cultu Iustorum lib. 3. cap. 5.

Libro contra Maximin. argumeno Vnde in 1 de Spiritu Sancto.

De Sacrificio Missæ tom. 1. tract. 1. de loco in quo offer. &c. quæst. 437. num. 8.

De Ritibus Ecclesiæ Catholicæ lib. 2. cap. 42.

Neque enim Ecclesia Romana præferendo in hoc cultu Sanctos noui Testamenti sanctis veteris Testamenti adducta est sine magna ratione, & fundamento, tàm sacrarum scripturarum, quàm etiam Theologorum, & Canonistarum. Etenim scripturæ sacræ docent statum sanctitatis perfectum fuisse, & esse in nouo Testamenro. Apostolus, quanto tempore hæres paruulus factus est, nihil differt à seruo, cum sit Dominus omnium, sed sub tutoribus, & actoribus est, vsque ad præfinitum tempus à Pa-

ad Galat. 4.

à Patre, quam quidem parabolam explicans idem Apostolus subiungit; Ita & nos cum essemus Paruuli sub elementis Mundi huius eramus seruientes, at vbi venit plenitudo temporis misit Deus filium suum in Mundum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, & adoptionem filiorum reciperemus. Vnde Sancti Patres colligunt ex hac auctoritate maiorem perfectionem status gratiæ, quam status legis scriptæ. Sanctus Ambrosius: qui autem estis filij Dei: videtur docere Iudæos nomine tenus dictos fuisse filios Dei adoptiuos, & nos re, & nomine, quorum adoptionem dicit figuratam in illis. Idem Paulus: Non enim accepistis spiritum seruitutis, &c. super quæ Chrysostomus concordat interpretantes adoptionem Christianorum perfectã figuratam in imperfecta Iudæorum. Consentiunt Theophylactus, & Oecumenicus in eandem Epistolam in illis verbis: in quo clamamus Abba Pater, idem Theophylatus super illis verbis, qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt, & in illud eiusdem Ioannis: gratia autem, & veritas per IESVM Christum facta est. Plura congerunt in eumdẽ sensum sancti interpretes, qui videri possunt relati à Cornelio á lapide. Sicut igitur figura cedit figurato ita cum sancti veteris testamenti figuræ fuerint sanctorum noui testamenti, non est mirum, quod in eodem cultu Ecclesia Romana præferat illis sanctos noui Testamenti.

Cit. Epist. ad Rom. 8

Lib. primo in Ioan. cap. 14.

Epist. ad Rom. 8. item in Ioann. loco laudat.

Tertia part. M. S. in 4. sentent dist. 2. quæst. prima §. 6.

Hinc est quod Alexander de Ales, Dominicus Sotus, & alij qui illos sequuntur, affirmant antiquos Patres veteris Testamenti, neque plenè, neque perfectè nomen filiorum Dei meruisse, etenim quamuis essent hæredes Regni Cœlestis, non statim in illud admittebantur, vel vt dicit idem Alexander, erant filij Dei in potentia, non in effectu. contra quos licet Vasquez insurgat, asserendo ad perfectam adoptionem sufficere ius ad hæreditatem Regni, quam consecuturi erant expectato Primogenito viuorum, & mortuorum, cum adoptio possit consistere sine consecutione hæreditatis, attamèn pace Vasquez, non videtur benè impugnasse præfatos Theologos, qui pro se habent testimonia scripturarum, & ad id quod ipse notat de adoptione, quæ potest stare sine hæreditate, respondemus, quod cum filiatio, & hæreditas sint correspectiua iuxta illud, filius ergo hæres, & correspectiuorum eadem sit natura, laudati Theologi benè arguerunt à filiatione ad hæreditatem, & è contra, videtur enim quod ex aliqua parte connotante non totalem perfectionem adoptionis illis hæreditatem regni fuisse dilatam, vti accipiendam à Christo, qui erat Primogenitus, vt diximus, viuorum, & mortuorum per quem perfecta, & consummata fuit filiorum adoptio per mortem, & passionem ipsius, & propterea sine ea non habebant ius strictum, & proprium ad dictam Regni hæreditatem, at non sic Sancti noui Testamenti, qui cum sint post aduentum Christi, illiusque passionem, & mortem statim, ac defuncti sunt ad Regni Cœlestis hæreditatem admittuntur. Neque est dubitandum, quod gratia, & charitas vberius infundatur Sanctis nouæ legis, nam sunt in tempore plenitudinis gratiæ, sunt in tempore Sacramentorum nouæ legis, quæ Christus Dominus instituit, conferuntque gratiam ex opere operato, vbi vetera tantum adumbrabant gratiam dandam per fidem Christi venturi, & ex opere operantis tantùm. Idcirco hæc nouæ legis Sacramenta vocantur plena, illa vacua, vt meritò nostra per Prophetam vocentur fontes: Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris, vnde Concilium Tridentinum dicit, quod Christus IESVS tamquam vitis in palmites, & tanquam caput in membra virtutem influit, quare optima ratione Ecclesia Romana absti-

Isaia 12.

Sess. 6. cap. 16.

abstinuit à Canonizatione, & à solemnitate, & templorum erectione, ad honorem Sanctorum, veteris Testamenti, vt optimè probant Cardinalis Turrecremata, Augustinus Triumphus, & Sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus, cuius verba vt compendiosiora huic meo voto inserenda duxi. Sciendum inquit, quod nullus Patrum veteris Testamenti est Canonizandus à Papa, & ratio huius est secundum Augustinum de Ancona, quia causa semper præcedit effectum suum, & non sequitur, sed fundamentum, & causa omnium Sanctorum fuit Christus, ipse est enim Sanctum Sanctorum, vt dicitur Danielis nono, nullus ergo debuit Canonizare pro Sancto, qui fuit ante Christi Natiuitatem. Appellat tamèn Ecclesia illos Sanctos, & eorum sanctitatem exemplariter proponit imitandam, nec non orationibus eorum se commendat, eorum tamen sanctitatem non solemnizat, seù canonizat. Secunda ratio, quæ tamèn includitur in prima est, quia Sancti Patres veteris Testamenti quantacunque sanctitate pollerent, non fuerunt in tempore plenitudinis gratiæ, quæ per Christum facta est, sed plenitudo gratiæ in illa lege quasi tenebatur inclusa figuratiuè, vnde Augustinus in libro de Symbolo super illud: Domum tuam decet sanctitudo, dicit, quod nullius solemnitatem Ecclesia solemnizat, priusquam Domus Sanctitatis fundetur, & ideo in tempore plenitudinis gratiæ potius sanctitatem Beatæ MARIÆ, & Ioannis Baptistæ Ecclesia solemnizat, quam alicuius alterius, quia illa Sanctum Sanctorum generauit, & iste digito demonstrauit. Tertia ratio quare Ecclesia illorum sanctitatem non solemnizat est, quia quantumcunque personaliter essent sancti, claritas tamen diuinæ visionis eis fuit clausa, non soluto pretio humanæ naturæ per Christum, hæc ille. Cui subscribit Fagnanus bo. me. Ciuis meus, & Antonius Ricciullus Archiepiscopus Cosentinus nixus auctoritate Turre-Crematæ in eodem *cap. primo dist.* 3. vbi ait Sanctos veteris Testamenti veneratur Ecclesia in Litanijs; dum inuocat omnes Patriarchas, atque Prophetas, horum tamen festum licet Ecclesia Orientalis aliqua celebrare consueuerit, nihilominus mos iste in Ecclesia Occidentali non est receptus, nam cum soleat celebrare festum die obitus, eo quia tunc adepti sunt gaudia Paradisi, Diuus Augustinus in Sermone secundo de Sanctis, sequitur, quod cum Sancti ante Christum non adipiscerentur gaudia Paradisi, sed descenderent ad Lymbum, celebratio non poterat fieri in lætitia, & Exultatione, inde reddit Rationem, cur aliqua festa ab hac regula excepta sunt. Sed reuera iste mos Ecclesiæ Romanæ à tempore ipso Apostolorum introductus ob rationes, quas supra adduximus, est in causa, quod Ecclesia non adhibeat huiusmodi cultum publicum, & vniuersalem in honorem illorum, & quia, vt diximus, fuerunt figuræ Sanctorum noui Testamenti, qui propterea hac in parte illis præferuntur. Militant, & aliæ Rationes non contemnendæ, quia Ecclesia vult semper habere similitudinem cum ipso Christo Redemptore, & ea quæ ab hac similitudine recedunt, etiamsi quoad virtutes morales non includant diuinam indignationem, imò potius gratiam, nihilominus arcentur à ministerio sacrorum ordinum, & ipsius Sacrificij seruitio, ita bigami defectu Sacramenti sunt irregulares, & nihilominus possunt esse iusti, & Sancti, igitur ista irregularitas defectu Sacramenti dicitur hoc est defectu similitudinis cum Christo, qui vnicam & Virginem tantum duxit.

Item etiam homicidæ quantumcunq; egerint pœnitentiam, sunt irregulares, & Iudices ipsi, qui sine peccato, imò cum multo merito damnant, & plectunt reos morte, sunt irregulares, arcentur à ministerio defectu lenitatis,

Cap. primo de Consecrat. dist. 3. in 3. in 3. quæsit. de potest. Eccles. quæst. 17 art. 2.

Tertia parte tit. 22 cap. 4. §. 5. versic. sciend.

Ioan. 1.

In Capitulo Audiuimus extra de reliquijs, & veneratione Sanctorum num. 16. in 2. parte 3 decret.

Lucubrat. Ecclesiasticarum lib. 6. de cultu, & Veneratione Sanctarum reliquiarum de Sanctis veteris Testamenti cap. 7.

Capitulo debitum de bigamis can. si quis viduam distinct. 34. Panor. cap. super eo de bigamis, & Turre-Cremata can. si quis viduam dist. 34.

tis, quæ erat virtus Iesu Christi, qui cum pateretur non comminabatur, &c. igitur Ecclesia exigit in omnibus hanc similitudinem cum Christo. Ea vero magis reperitur in Sanctis noui Testamenti, qui consepulti sunt cum Christo in mortem, vt inquit Apostolus per Baptismū, quāuis enim Iusti ante Christū baptizati essēt baptismo flaminis, vel martyrij, Apostoli tamē omnes Christi baptismate baptizati creduntur. Quod quidē cum tunc non fuisset institutum, eò modo, quo imprimit characterem, in hac parte non videbantur habere perfectam similitudinem cum Christo, quamuis non teneantur vinculo aliquo irregularitatis. Erant enim Sanctissimi, qui noui Testamenti Ecclesiam præfigurabant. Et vt verum fatear videatur vna ex potissimis causis, ob quam Ecclesia abstinuit ab isto publico cultu. Neque est contemnenda alia ratio congruentiæ, nam Sancti noui Testamenti dicuntur simpliciter Christianæ Religionis viri, & non secundum quid, vt Sancti veteris Testamenti, qui reductiuè saltem, & ex Doctorum interpretatione potius pertinent ad nouum Testamentum, sunt inquam figuræ nostrorum, & miracula ipsa, quæ patrarunt, vt quodammodo demonstrat Petrasancta, qui comparat miracula nostrorum Sanctorum cum miraculis illorum, hæcque demonstrat frequentiora, & illustriora; vnde possumus in hanc rem dicere, quod sicut quisque magis efficitur amore & beneuolentia erga suæ Regionis, & Patriæ Sanctos, vt videmus de Germanis, Hispanis, & Gallis, qui promouent canonizzationem propriorum beatorum regnorum, & non aliorum; ità Ecclesia Romana affecta fuerit vti sponsa eiusdem Christi erga suos filios, quam erga Sanctos veteris Testamenti, quamuis vna ab initio Mundi, vsque ad finem seculorum sit Ecclesia Iustorum. Possumus hæc etiam cum Historia Sacræ Scripturæ confirmare, etenim Naam Syrus leprosus contra seipsum ita ratiocinatur cum indignabatur, quod Elisæus iussisset, vt mundaretur à lepra. Septies in Iordane se lauare: Vade, & lauare septies in Iordane, & mundaberis: numquid non meliores sunt Abana, & Pharphar fluij Damasci omnibus aquis Israel, vt lauer in eis, & munder. Quę dicta quamuis non aptentur ijs, qui cum Christo regnant, & pro nobis intercedunt, non tamen tollunt, quod magis quis afficiatur erga suos, & Ciues, & Domesticos, & eiusdem professionis, quam erga extraneos. Quibus addenda est Censura Reuerendiss. Patris Capisucchi Magistri Sac. Palatij Apostolici, præstantissimi Theologi, quam non tam doctè, ac prudenter, quàm etiam piè scripsit, videturque impressa typis Cameræ Apostolicæ anno 1677. in libellum cuiusdam scriptoris, qui nitebatur probare non maiorem cultum mereri Abraham, quàm filios eius, inter quos recensebat Apostolos, & ipsam Beatissimam Virginem Mariam, motus primatiò ea ratione, quod niteretur auctor in legentium animos inducere perabsurdam existimationem de conuenientia, si non de obligatione, ac de necessitate inducendæ nouitiatis in Ecclesia Romana, circa publicum, & vniuersalem cultum sanctorum veteris Testamenti. Inter alias rationes, quas affert Reuerendiss. Dominus meus pro hac censura, est quod Ecclesia semper perperè se gessit in cultu Sanctorum veteris Testamenti, ne Christiani ad ritus Hebraicos afficerentur, & idem dixit de templorum erectione, cui adstipulantur octo præstantes Theologi, quorum nomina leguntur in calce eiusdem censuræ.

de consecrat. distin. 4. can. quando 145. & can. sicut 146.

In Thaumasia.

Diluenda modo nobis sunt obiecta in contrarium, quod vt ordinatè peragamus.

Præmittendum est primmò, Sanctos veteris Testamenti alios spectare tantum ad vetus, alios autem tantùm ad nouum. Ij, qui spectant ad nouum sunt

funt sanctus Io. Baptista Præcursor Domini, Sancta Elisabet eius mater, Sanctus Ioseph Beatissimæ Virginis Sponsus, & Pater putatiuus Iesu Christi, Sancta Anna mater eiusdem Beatissimæ Virginis Mariæ, Sanctus Ioachim coniux, & pater respectiuè, Sanctus Simeon Propheta, qui accepit Iesum puerum in vlnas suas, & præ gaudio exiliens, dixit: nunc dimitte seruum tuum Domine, Sancta Maria Magdalena, quæ vt constat ex Euangelio, lauit pedes Domini, & capillis suis tersit, & præ virtute pœnitentiæ, & eximij amoris meruit suorum peccatorum indulgentiam ab ipso Redemptore, Martha soror eius, quæ tam sollicitè ministrauit Domino, S. Lazarus, & Sancti Innocentes, qui ab Herode necati sunt, Sancta item Maria Iacobi, & sique aliæ piæ mulieres.

Sancti vero, qui tantum pertinent ad vetus Testamentum recensentur Sancti Prophetæ, & Patriarchæ, & alij, vt Sanctus Iob, qui longè præcesserunt aduentum Iesu Christi, quamuis non nulli Theologi, vt supradiximus, velint omnes Sanctos veteris Testamenti reductiuè saltem pertinere ad nouum, & alij etiam dicant simpliciter ad nouum spectare.

Præmitto secundò, quod Romana Ecclesia exhibuit publicum cultum Sanctis veteris Testamenti ad nouum pertinentibus, quamuis quoad Sanctũ Iosephum, & Annam, & Ioachim, non ab initio Ecclesiæ habeamus dedicata Templa, & præscriptus cultus templorum erectione, Romæ enim sæculo superiori non recensebatur Templum aliquod dictum ad honorem Sancti Ioseph, & Sanctæ Annæ à tribus ferè sæculis, & quoad Sanctum Simeonem Prophetam aderat hic Ecclesia Parrochialis, quæ erat tituli Cardinalitij suppressi à Sixto V. cuius memoria pariter à tribus sæculis legitur ad nostram memoriam inter Vrbis sacræ Monumenta. Sancti Innocentes ideò ab ipsis Catholicæ Ecclesiæ cunabulis publico, & solemni cultu dignantur, quia in quolibet eorum mortuus est Christus, pro quo necati sunt. Hinc distinguo, & dico Sanctos veteris Testamenti, quorum Ecclesia solemnizat festum, & erexit templa spectare ad nouum, veluti vel consanguineos, vel affines, vel coæuos, & contemporaneos Iesu Christi, de Sancto autem Simeone Propheta, vt aduertit Octauius Panzirolus ad illam Ecclesiam in Regione Pontis, quamuis ad honorem ipsius sancti Prophetæ dedicata sit, non tamen ibi solemnizatur eius festum, sed tantùm festum Purificationis Beatissimæ Virginis.

Præmitto tertio, quod Religioni Carmelitarum indulserunt Summi Pontifices cultum Sanctorum Eliæ, & Elisæi ex peculiari priuilegio concesso eidem ordini, quidquid sit de antiquioribus) à san. mem. Gregor. XIII. & quidem magna ratione motus fuit idem Pontifex ad huiusmodi indultum concedendum, nam cum iste Ordo Carmelitarum fuerit institutus ab ipso Propheta Elia, & à sancto Elisæo cultus, & auctus, & adueniente postea per Christum gratiarum plenitudine ijdem eiusdem Ordinis Religiosi dederint postea nomina sua Iesu Christo, & successiuè vsque ad confirmationem Apostolicam diuinæ contemplationi vacauerint, benè adepti sunt confirmationem Ordinis ab ipso Alexandro Tertio, ex quo ab Oriente in Europam adducti sunt ab Alberto Patriarcha Hierosolymitano, cum Prior esset Carmeli, Cyrillus natione Græcus, ita vt Summi Pontifices eodem nomine Religionem confirmauerint, potiùs ob continuatum exercitium sub nomine eiusdem sancti Eliæ, quam ad inducendam diuersitatem aliquam in Ecclesia latina circa eorundem sanctorum venerationem: hi enim Patres erant, & habebantur cultores Carmeli, & Orientales, & propterea sub eodem titulo Eliæ, & Elisæi confirmati fuerunt, & successiuè dignati, vt iuxta vsum Carmeli cultum exhiberent sanctis Patriarchis.

Genibrardus in Alex. III. & Innoc. III.

Præmit-

Præmitto quarto. Nonnullas Ecclesias, quæ sanctorum Patriarcharum, & Prophetarum veteris Testamenti in Europa reperiuntur ea ijs, quę spectant tantum ad vetus, originem habuisse, imo & ipsam fundationem ab ipsis Græcis, vt Venetijs, vbi plures familię nobilissimę gloriantur se trahere originem ab ipsa Græcia, pręsertim cum esset Sedis Imperatorum Orientis; & de Templo ibidem s. Zachariæ Prophetę excitato, quod dono missum fuit Angelo Participatio IX. Venetiarum Duci corpus eiusdem s. Psophetæ ibidem reconditum, meminere Petrus Iustinianus idem refert in Iustiniano Participatio Duce XI. In Calabria vero, & in Apulia notū est cuique constituisse Græcos, vnde ipsa Calabria magnę Gręcię nomen nacta est, tolerauit itaque Sedes Apostolica huiusmodi ritus, multa enim facta tenent, quę de iure fieri non possunt.

Hist. Tenet. lib. 1. pag. 9. pag. 9. num. 10. anno Domini 809. Petrus Marcellus in eodem Duce de Gestis Venet. pag. 7.

Pręmitto quinto; quod Ecclesia non celebrat memoriā Boni latronis, quāuis spectet ad nouum Testamentum, nam non omnia, quę licent interdum expediunt, nec honesta sunt, vt firmant Albericus de Rosate, qui laudat speculatorem.

In suo Diction. litt. L. verbo licet.

Ad primum circa officium sancti Iob. Respondeo huiusmodi concessionem esse raram, & non communem, ac proinde non valere argumentum à singulari ad vniuersale, neque à simili, quod alioquin esset validū argumentum per legem illud ff. ad legem Aquiliam, nisi diuersitatis ratio intercederet, vt hic.

par. 1. tit. de Testam. §. 10. vers. porro.

Lege 1. à Titio ff. de verb. obligat.

Ad secundum celebrantur quidem dies festus, sed frequentiùs in Ecclesijs Orientalibus, vel ab Orientalibus fundationem habentibus, & ex tacita tolerantia Sedis Apostolicæ, quo vero ad Patres Carmelitas ex peculiari priuilegio Ordinis, quod non debet extendi, cum sit odiosum Iuri Communi, sed strictè interpretandum, præterquam quod priuilegium non egreditur personas priuilegiatas.

Cap. Priuileg. de Priuilegijs in sexto.

Ad tertium *Pictę Imagines* in Cęmeterijs factę fuerunt non ad solemnizanda festa, vel maximè, quod tunc non erant instituta, sed ad imitandas virtutes, quibus in sacris litteris sancti huiusmodi commendantur, vt expressum est in sancto Iob.

Ad quartum. Cultus exhibitus reliquijs sanctorum veteris Testamenti à primis Christianis arguit quidem sanctitatem, sed non solemnitatem, quę pertinet ad Institutionem Ecclesiæ, & ad ipsam Canonicam recognitionem factam, & faciendam per Summos Pontifices, ita quandoque Populi decepti sunt venerando pro sancto ebrium, de quo est Textus, & etiam publicum latronem, hęc vero approbatio quandoque est tacita ratione tolerantię. Cultus item reliquiarum sanctorum veteris Testamenti, qui tantum ad vetus pertinebant fuit ciuilis, quędam venratio, & iustarum persolutio per propinquos, seu amicos familiares non autem sanctitatis authentica approbatio, maximè quod contractare Cadauera in sacris litteris prohibitum esset.

In Cap. Audiuimus de reliq. & venerat. Sanctorum.

Ad quintum. Deus iussit amicis Iob; vt implorarent eius intercessionem; quasi petendo veniam de tentationibus, quibus sanctissimum Iobum lacesserant, potiùs induentes hostes, quam amicos, & verè consolatores, nō autèm, vt ex hac intercessione exhiberetur cultus publicus, & vniuersalis. Addimus tamen diuerso modo tunc imploratos sanctos veteris Testamenti, quàm noui, etenim quod nec possent ante Christi aduentum cæli aditu potiri, nec Deum videre, nec viuentium precationes ordinariè percipere, vt probat Raphael della Torre, non dum consuenere his formulis inuocari; Sancte Abraham, S. Isaach, S. Iacob &c. Orate

2. 2. quæst. 83. art. 4. disp. 5. in S. Thom.

pro

pro nobis, sed illorum dumtaxat merita in orando Deo interponi, quo facilius his quasi intermedijs deprecantium deprecationes Deus exaudiret, ita enim habetur Deuteronomij: neque auferas misericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaach seruum tuum, & Israel Sanctum tuum, nos vero Christiani inuocamus post mortem eorum Sanctæ Petre, S. Paule &c. Orate pro nobis. Cur vero ita fieret dicit idem Raphael loco laudato, quia non dum erat illis propalata Sanctorum via, non dum Deo fruebantur, vnde non erat vnde scire orationes nostras possent præcisa reuelatione per Angelos illis facta, seu ordinatione diuina iuxta tradita per illum, negantibus tamen alijs, quo uero ad Sanctos Machabeos, vt constat ex oratione vigesima Sancti Gregorij Nazianzeni, quæ legitur in Breuiario Romano Kalendis Augusti non videntur per eam approbari solemnitates Sanctorum Veteris Testamenti, imò potiùs videntur reijci, dum ibidem subdit idem Nazianzenus, quòd ijdem Machabæi apud multos non erant in honore, quia illud certamen post Christi aduentum non susceperunt, sed quia subierunt Martyrium pro religione, & quia valdè probabile dicit, neminem eorum, qui ante Christi aduentum martyrio consummati sunt, id sine fide in Christum consequi potuisse: requirit ergo hæc duo in Sanctis Veteris Testamenti copulatiuè, vt celebrari possit memoria, Martyrium scilicet in testimonium religionis, & fides in Christum venturum, quæ putat fuisse in Machabæis fastis Martyrum meritò adscriptis. 3. 35.

Sanctus Bernardus alio modo respondet ad quæsitum fratris Hescelini sui, ordinis, vt antea fulconis Sparnacensis Abbatis ibi: puto quod arbitretur indignum quamtumlibet laudabili morte, quæ Christi mortem præcederet, diem festum impendere, præsertim, cum ante illam salutiferam passionem, non festiua gaudia, sed claustra tenebricosa quoque morientes exciperent. Sanè Machabæos ideo (vt dictum est) excipiendos iudicauit Ecclesia, quoniam quod eis negabat tempus, contulit martyrij genus. Epist. 98.

Ad sextum. Præstat cultum publicum ex priuilegio particulari, vel ex tacita tolerantia Sanctis, qui spectant tantùm ad vetus, concedo, prestat publicum cultum iure ordinario, nego, ergo prestandum esse Sanctis illis simpliciter cultum publicum, & vniuersalem dico non sequi, & ideo nego consequens.

Sanctus Bernardus loco laudato alio modo respondet, nam diuidit Sanctos Prophetas, & Patriarchas, martyresque Veteris Testamenti, qui longè præcesserant aduentum Iesu Christi, & Sanctos Veteris Testamenti, qui fuerunt in tempore eiusdem Redemptoris, quos ego dico pertinere ad nouum Testamentum, hoc est Sanctum Ioannem Baptistam, Sanctum Simeonem, & Innocentes, & cum horum omnium pretiosa mors fuerit in Cospectu Dei maximè Esaiæ, & Zachariæ Martyrum, qui inuictissimi fuere in tormentis, cur de his cum pretiosa pariter in Cospectu Dei fuerit mors, Ecclesia festum non instituit, vt de Sancto Ioanne Baptista de Sanctis Innocentibus, & alijs qui spectant ad nouum, respondet, quia ijs breui exemptio à tenebricoso illo Claustro lymbi instabat, & propterea eorum mors cum lætitia, & exultatione subsequuta est, at Sanctos Veteris Testamenti, qui longè præcesserant aduentum Redemptoris, & ideo diuturniori tempore mancipandi erant illo carcere, mors deterrere solebat, mæroreque, & tristitia afficere ingentibus; & propterà de illis quantumuis Sanctis peracta non fuit memoria, sicut de istis: non solum inquit ipsos (hoc est Machabæos) sed et qui fortè vita iam cum carne manifestatæ mortem morte sua præuenerunt, siue morientes in ipsa,

sicut

sicut Simeon, & Ioannes Baptista: siue etiam pro ipsa, sicut Innocentes: quos alia ratione licet ad Inferos, & ipsi descenderunt, ritu nihilominus solemni veneramur. Et Innocentes quidem, quoniam iniustum profectò fuit Innocentiam pro iustitia morientem, vlla, vel præsenti gloria defraudari. Ioannes quoque sciens, quod à diebus suis Regnum Cælorum vim patitur, vnde & clamat: agite pœnitentiam, appropinquabit Regnum Cœlorum, simulque videns se vitam protinus secuturam mortem lætus excepit, quod vtique ab ipso Domino moriturus sciscitari sollicitus fuit, ac certificari meruit. Nam cum per Discipulos eum interogasset: tu es, inquiens, qui venturus es, an alium expectamus? post enarrata plura miracula, audiuit, & beatus, qui non fuerit scandalizatus in me. In quo nimirum verbo significatur se Dominus moriturum, & tali morte, quæ posset Iudæis esse scandalum, gentibus stulditia. Ad hanc vocem sponsi, gaudens amicus sponsi alacri animo præcessit, quo & illum in proximo esse venturum, iam dubitare non potuit. Porrò qui lætus, & tam lætus potuit mori, potuit, & lætam sibi memoriam promereri. Sed & senex ille eum plenus virtutum, quam dierum morte iam propinqua vitam baiulans in manibus, aiebat: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace, ac si diceret securus descendo in carcerem, qui tam præsto meum sentio Redemptorem. Et hic ergo, qui tam secura iucunditate moritur, meritò in Ecclesia celebrari cum gaudio memoratur, cæterum illa, qua ratione mors festiua reputabitur, quam nulla gaudiorum festiuitas comitatur? aut vnde gaudium sumeret moriturus, qui se, et ad infernales descendere tenebras certus erat, nec cærti quippiam secum ferebat, vnde in proximo de sui liberatore consolaretur. Inde est quod vnus Sanctorum cum audiret: dispone Domui tuæ, quia morietis tu, & non viues, conuertit se ad parietem, & fleuit fletu magno, atque ita impetrauit exosæ mortis aliquam dilationem. Hoc denique & miserabiliter plangebat dicens in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi, et paulò post non videbo Dominum Deum in terra viuentium, & alia similia hucusque Bernardus.

Ad septimum. De dupiici Canonizatione nempè scripturæ sacræ, & summi Pontificis; respondeo sum nũ Pontificem propriè canonizare si canonizatio Sanctorum secundum Innocentium est Canonicè, & regulariter instituere, quod aliquis pro Sancto honoretur, puta vt omnes Canonistæ idem doceant, quòd fiat pro eo solemne officium sicut pro alijs Sanctis eiusdem conditionis, vnde si canonizatio accipitur pro decreto, quo permittitur vniuersæ Ecclesię solemnitas illius Sancti Canonizationi nullum est dubium, quod istaest summi Pontificis tantum, cuius est illud decretum, & quidem infallibiletanquam ex cathreda pronunciatum.

Deus autem laudando illos Sanctos veteris testamenti manifestauit quidem eorum merita, fuit enim Sanctissimi, & inuocandi in opportunitatibus, sed non propterea sequitur in se congruentia solemnizandi eorum festa, officiorum celebratione, & templorum erectione, quod Romana Ecclesia ob allatas rationes nunquam præstitit. Vidi Missalia, et officia, seu Breuiaria diuersa, diuersorum etiam ordinum regularium ab anno 1500. circiter vsque ad nostram memoriam, & quamuis in Kalendario siue mensibus reperiantur nomina suis diebus assignata aliquorum iustorum veteris testamenti pertinentium ad vetus testamentum, non tamen in his missalibus assignatur missa de illis, neque in his Breuiarijs officium. Possumus insuper addere, quod quamuis ab initio Mundi sit vna Sancta, & Catholica Ecclesia, sicut in præsentiarum etiam est, & erit vsque ad finem sæculi, nota tamen Apostolicæ conuenit solum Ecclesiæ noui te-

stamen

stamenti, nam sequitur Doctrinam Apostolorum scriptam, & non scriptam, & propterea in cultu decernendo consueuit Romana Ecclesia Sanctis noui testamenti illū decernere, vt notissimū accidit legenti Ecclesiasticam historiam. Bellarminus autem quando dixit loco citato Sanctos veteris testamenti canonizatos ab ipso Deo, voluit tantum ostendere contra Hæreticos, qui canonizationes impugnant, & solemnitates Catholicæ Ecclesiæ irrident, eas habere fundamentum in Veteri Testamento, nec esse humana figmenta, & inuentiones Ecclesiasticorum, non quod re vera sentiret illam laudem, quæ legitur in Ecclesiastico fuisse canonizationem hoc est decretum solemne, quo permittitur Ecclesiæ illorum veneratio cum maximè detinerentur in loco miseriæ. Verùm & alia ratione ostendo illam laudem non fuisse veram canonizationem prout sit ab Ecclesia, nam canonizare ex primæua institutione aliud non fuit, quam referre in Canonem Missæ Canonizari nomen, vt colligo ab Hidelberto Carmensi Episcopo, quem laudat Durantus. *Lib. 2. cap. 44. n. 7.*

Idem dum memorat Sanctos humerale recensset
Quod bis Sena Patrum nomina scripta gerit.
Pectus enim logion, scapulas humerale tegebat
Præsulis intrantis interiora sacri.
Nos etenim gerimus logion cum nomina Patrum
Circa principium Canonis exprimimus.
Nos humeralis onus gerimus, cum nomina Patrum
Hac in parte Sacri Canonis inserimus.

Ad VIII. Concesso, quod Sancti Veteris Testamenti haberent gratiam habitualem illa tamen non erat quodamodo comparanda, cum gratia Sanctorum noui testamenti quæ plenior est, cum simus in tempore plenitodinis gratiæ, & data illorum Iustitia nulla res remoratur eos ab ingressu Regni, reductique tamen saltem gratiæ Sanctorum Veteris Testamenti spectat ad nouum vt optimè probat Medina post DiuumAugustinum, & Sanctum Thomam. Cum enim gratia sit fructos legis Euangelicæ, quem fideles noui testamenti iure quodam hæreditario vindicare possunt, sequitur quod quicunque ante gratiam consecuti sunt, quodamodo ad nouum testamentum pertinere dicantur: cum etiam quia Christus Dominus causauit gratiam illam in genere causæ finalis, nostram verò in genere causæ efficientis, & hoc solum discriminis assigno preter alia, quæ dixi supra, sufficit enim, quod non fuerint in tempore plenitudinis gratiæ, quæ per passionem, & mortem Christi consummata, & perfecta euasit. Neque enim ad solemnitatem, & cultum publicum inducendum etiam in Sanctis noui testamenti Sanctitas ipsa est sufficiens, si non sit expediens eorundem canonizatio, vt supra diximus de Bono Latrone, qui ob illam confessionem Diuinitatis Iesu Christi factam in Cruce, meruit, & remissionem suorum peccatorum, & Regni Cælorum possessionem. Debet enim iudicare suprema sedes an sit honestum tribuere hunc cultum publicum dictis Sanctis, ne inducatur in Ecclesia nouitas aliqua, ob quam id quod tanta ratione non fuit permissum, fiat postea obuium, & permissibile cuique volenti, cum enim homines valdè amici sint nouitatum ex vno exemplo inualescerent ad prætendendas similes gratias, & contra hucusque laudatam consuetudinem nulla distinctio esset inter Sanctos spectantes tantum ad vetus, & Sanctos noui Testamenti.

In 1. 2. art. 2. §. sequitur 3. affirmat cui adhæret Gabriel. à S. Vinc. 1. 2. quæst. 106. in Summario num. 5.

Ad IX. Ex eo quod reperiantur Templa in Italia, & Hospitalia in honorem

norem Sancti Iob, dicit non esse inconueniens, si denuo erigantur cum eodem vocabulo, concedo antecedens, si accedat summi Pontificis concessio, quæ cum agamus de re insolita est omninò necessaria, neque est expediens ob motiuum supra proximè tactum, etenim in Ecclesia Romana, quæ olent nouitatem, semper sunt suspecta. Si sine indulto expresso summi Pontificis nego antecedens, ergo possunt erigi templa nego consequens, quod enim potest secundum quid, non potest simpliciter, & sine vllo addito fieri, & priuilegium non egreditur personas priuilegiatas, vt dictum est.

Ad decimum. Denique & vltimum obiectum respondeo Templa, quæ sunt Romæ esse sanctorum illius classis, quæ pertinet ad nouum Testamentum, vt qui nimirum erant Consanguinei, seu affines, siue contemporanei, & coæui, siue Apostoli ab ipso Christo vocati.

Quo vero ad secundã partẽ mei voti, dico, quod solus summus Pontifex per suũ diploma potest concedere, vt adhibeatur publicus cultus, & erigatur Templũ Sancto Iob, si perpensis pro vtraque parte rationibus censeat Sanctitas Sua huiusmodi Templum ad honorem, vt supra esse concedendum, moueor quia cum è Sede Apostolica emanauerint de Sancto Elia, & Elisęo huiusmodi priuilegia ad fauorem Patrum Carmelitarum, ita etiam potest cum suo diplomate alijs indulgere vt erigant Templum, & celebrent festum Sancti Iob, quod tamen non expedit ex tot rationibus supra allatis

Hinc placeat Eminentiss. P. P. perpendere, quam lento pede in hac adeò graui materia satius sit procedere nè illa sternatur via his vltimis temporibus, quam claudere enixa fuit primitiua Apostolorum Ecclesia ad iudaizandum.

F.A. Grimaldus Episcopus Methon. Suffrag. Albanen.

REVISA Fr. Cardinalis ...

Adreas Pierius Subpromotor Fidei.

